tiā nostrā, qbus populi sub nostro regimine positi pacatissime gubernent & viuāt, sed etiā in
adiutorio Christi extēdimus nos ad ea q̄ sunt ccelestia excogitare, & q̄ populos fideles effici
ant satagimus nō nescire. Cæterz si totis nitendū est viribus humanis moribus modū ponere
& insolentiū rabiē regia potestate refrenare, si quieti & paci propagādæ, opē debemus impē
dere. Multo magis est adhibēda sollicitudo desiderare & cogitare diuina, inhiare ad sublimia
& ab errore retractis populis veritatē eis serenæ lucis ostēdere. Sic em̄ agit q̄ multipliciter à
deo remunerari intendit. Sic em̄ audit q̄ super id quod ei cõmittit auget, dū illi dicit. Quicqd
supererogaueris, ego cū rediero, reddā tibi. Ergo q̄ iam fidei nostræ & cõfessionis formam
plena serie vestra beatitudo recensuit, simul & sacerdotū, nostrozq; procez fides atq; con
fessio sanctitati vestrz p̄pauit hoc à deo necessario p̄firmitate catholicæ fidei nostræ deo
supplex instituere decreuit autoritas, vt propter roborandā gentis nostræ nouellā cõuerfio
nē oēs Hispaniæ & Gallitiæ ecclesiæ hanc regulā seruent, omni sacrificij tēpore ante cõm
unicationē corporis Christi & sanguinis iuxta orientaliū partiū morē vnanimiter clara voce
sacratissimū fidei recensent symbolū, vt primū populi quam credulitatē teneant, fateantur,
& sic corda fide purificata ad Christi corpus & sanguinē percipiendū exhibeant. Dū em̄ hæc
constitutio fuerit perenniter cõseruata in dei ecclesia, & fidelium ex sollicitudine corroboratur
credulitas & pfidia infidelium cõcitata ad id quod repetitū sæpius recognoscit qd catholica te
neat & credat ecclesia. Oibus ergo capitulis quæ adhuc per vestrā sanctitatē regulis ecclesiasti
cis adijcienda sunt hoc p̄fidei sanctæ reuerentia & firmitate proponite, quod de p̄feren
do simbolo nostra deo docente decreuit serenitas. De cætero aut̄ prohibendis insolentium
moribus mediat vobis consentiente clementia sententijs terminate districtioribus & firma
disciplina q̄ facienda nō sunt, prohibete & q̄ fieri debent immobili constitutione firmate.

Incipiunt capitula eiusdem concilij.

- | | |
|--|--|
| ¶ Vt conciliorum statuta & præsulū Roma
norum decreta custodiantur. Cap. 1. | ¶ prius tondeatur, si fœmina prius habitum
mutet. 12 |
| ¶ Vt in omnibus ecclesiis die dominica sym
bolum recitetur. 2 | ¶ Vt clerici qui seculares iudices appetunt,
excommunicentur. 13 |
| ¶ Vt ne quis extra necessitatem rem eccle
siæ alienet. 3 | ¶ De Iudæis. 14 |
| ¶ Vt liceat episcopo vnā ex parrochijs ba
silicam monasterium facere. 4 | ¶ Vt serui fisci qui ecclesiam construunt, eis
dem dotem faciant. 15 |
| ¶ Vt sacerdotes & leuitæ cum vxoribus suis
non viuant. 5 | ¶ Vt ep̄i cum iudicibus idola destruant, vt do
mini idololatriā seruis prohibeant. 16 |
| ¶ Vt seruis ecclesiæ ab episcopo manumissus
à patrimonio ecclesiæ nunq̄ recedat, & vt
liberti alioz ab ep̄o defendantur. 6 | ¶ Vt ep̄i cum iudicibus necatores filiorum
acriore disciplina corripiant. 17 |
| ¶ Vt ad mensam episcopi scripturæ diuinæ
legantur. 7 | ¶ Vt semel in anno synodus fiat, & iudices &
actores fisci præsententur. 18 |
| ¶ Vt clericis de familia fisci à principe non
donentur. 8 | ¶ Vt ecclesia cum rebus eius ad episcopi ordi
nationem pertineat. 19 |
| ¶ Vt ecclesiæ Arrianoz ad catholicū ep̄m, in
cuius diocesi sunt permaneant. 9 | ¶ Vt episcopus angarias vel indictiones in
diocesi non imponat. 20 |
| ¶ Vt viduis pro castitate violētiā nullus infe
rat, & vt mulier inuita viz non ducat. 10 | ¶ Vt nō liceat iudicibus clericos vel seruos ec
clesiæ in suis angarijs occupare. 21 |
| ¶ Vt potens pœnitentiam agat. 11 | ¶ Vt religiosorum corpora pfalendo tantū
deducantur. 22 |
| ¶ De his qui pœnitentiam poscunt si vir est, | ¶ Vt in sanctorum natalitijs balli mathiæ
prohibeantur. 23 |

Incipiunt decreta concilij.

I 3 Post

Concilium Toletanum tertium.

Capitulum primum.

- B** **I** Ost damnationē hæresis Arrianæ, & fidei sanctæ catholicæ expositionē, hoc sanctū præcepit cōciliū. Ut quæ à nōnullis vel hæresis, vel gentilitatis necessitate p̄ Hispaniæ ecclesiis canonicis p̄termisus est ordo, dū & licentia abundaret trāsgrēdiendi, & disciplinæ optio negaret, dū oīs excessus hæresis probaret patrociniō, & abundantia mali tēporis procul esset distractio disciplinæ. At nūc pace ecclesiæ Christi misericordia reparata, quod priscos canonū autoritas prohibet, sit resurgente disciplina inhibiti, & agatur omne q̄d præcepit, permaneat in suo vigore conciliorum omnium constituta simul & synodica sanctoꝝ præsulū Romanoꝝ epistolæ. Nullus deinceps ad promerendos honores ecclesiasticos contra canonum statuta aspi-ret indignus, nihil ex hoc fiat quod sancti patres spū dei pleni sanxerunt debere non fieri, & qui præsumpsit seueritate priorū canonum distringatur.
- C** **II** ¶ Pro reuerētia & exaltatiōe sc̄tissimæ atq; inreueratissimæ, Christi fidei, p̄pter corroborandas & fulciēdas hoīm inualidas mētes, q̄ frequēter partim ignorantia vitio (q̄ naturaliter ab ipsis vitæ auspicijs nascimur obtenebrati) à viā veritatis aberrare solēt, partim educatiōis infelici corruptela deprauatæ, nōnunq̄ q̄d recta rō monet & naturalis docet instinctus, & seq̄ veritatis puritas exhortat, nō sine graui aīæ dispēdiō despiciant. Hinc vbi aīa rōnalis nobile dei plasma & egregiū artificii sc̄tissimæ trinitatis habēs in se vestigia ad sui creatoris amorē p̄ verā intelligentiā deberet eleuari ignoratiæ tenebris obuoluta ad hæresis prauitatē deflexa, sui creatoris vitz cultū deserit dijs alienis inseruiēs. His igit incōmodis occurrēdi cā, vt erroris nubes lōge repellant, & veritatis ac vnicæ fidei splendor illuceat, hoīm q; mentibus puritatis, & viā infallibilis pulchritudo inserat, p̄ quā totus aīæ affectus in deū suū eleuet, & illius rapta defiderio prudēti indagine oculoꝝ acies ad lumē veritatis inextinguibile (q̄ deus est) prorūsus cōuertat, sine cuius obtētū nihil aliud agit mens q̄ cecutire, q̄ aberrare, q̄ à felicitatis scopo dimoueri, cōsultū pijsimū & gloriosissimū. Reccare di regis cōstituit synodus, vt p̄ oēs ecclesias Hispaniæ, & Gallitiæ sc̄d̄m formā oriētaliū ecclesiæ cōciliij Cōstātinopolitani, hoc est cētū quinquaginta epōꝝ symbolū fidei recitet & priusq̄ dñica dicat ofo, voce clara p̄dicet, q̄ fides vera manifestata sit & testimonium habeat, & ad Christi corpus & sanguinem prælibandum pectora populorum fide purificata accedant.
- D** **III** ¶ Hæc sc̄tā synod⁹ nulli epōꝝ licentiā tribuit res alinare ecclesiæ, qm̄ & antiquorib⁹ canonib⁹ hoc prohibet. Si qd̄ vero qd̄ vtilitatē nō grauet ecclesiæ pro suffragio monachoz vel ecclesijs ad suā parrochiā pertinentiū dederint, firmū maneat. Peregrinoꝝ vel clericoz & egenorum necessitati saluo iure ecclesiæ p̄stare permittunt pro tēpore quæ potuerunt.
- E** **III** ¶ Si ep̄s vnā de parrochianis ecclesijs suis monasteriū dicare voluerit, vt i ea monachoz regulariter cōgregatio viuat, hoc de cōsensu cōciliij sui habeat licentiā faciēdi, q̄ etiā si de rebus ecclesiæ pro eoz substantia aliquid quo detrimentū ecclesiæ non exhibeat, eidē loco donauerit, sit stabile. Rei bonæ statuendę sanctum concilium dat consensum.
- F** **V** ¶ Cōpertū est à sc̄to cōcilio, epōꝝ, p̄b̄os, & diaconos veniētes ex hēresi carnali adhuc defiderio vxoribus copulari. Ne ergo de cetero hoc fiat p̄cipit, qd̄ & canonibus prioribus continetur, vt nō liceat eis viuere libidinosa societate, sed manente inter eos coniugali lege cōem vtilitatē habeant, & nō sub vno conclaui maneāt, vel certe si suffragat virtus in alia domo suā vxorē faciat habitare, vt castitas apud deū & apud homines habeat testimoniū bonū. Si q̄ vero post hanc conventionē obscene cū vxore elegerit viuere, vt nec lector habeat, q̄ vero semper sub canone ecclesiastico iacuerint, si contra veterū imperata in suis cellulis mulieres q̄ infamiz suspicionē possunt generare, confortiū habuerint, illi canonicè quidē distringant, mulierum vero res ab ep̄is veniuntur, & pretium ipsum pauperibus erogetur.
- G** **VI** ¶ De libertis autē hoc p̄cepit sancta synodus, vt si qui presbyteri vel diaconi ab ep̄is facti sunt secundū modū quo canones antiqui dant licentiā, sint liberi, & tñ à patrociniō ecclesiæ tā clerici q̄ ab eis progeniti nō recedant, ab alijs quoq; libertati traditi & ecclesijs cōmendati patrociniō ep̄i colligant, & ne cuiq; donentur à principe hoc episcopus postulet.
- H** **VII** ¶ Pro reuerētia dei & sacerdotū id vniuersa sc̄tā cōstituit synodus, vt quæ solent crebro mēsis otiose fabulę interponi, i omni sacerdotali cōuiuio lectio scripturaz diuinaz misceat, per hoc em̄ & animę edificentur ad bonū, & fabulę non necessarię prohibentur.
- I** **VIII** ¶ Iubēte autē atq; consentiente dño Reccare do id p̄cepit sacerdotale cōciliū, vt clericos ex familia fisci nullus audeat à principe donatos expetere, sed traditi capitis sui tributū ecclesiæ dei, cui sunt alligati vsq; dum viuunt, regulariter administrent.
- K** **IX** ¶ Decreto huius cōciliij hoc statuit, vt ecclesię q̄ fuerūt i hēresi Arriana, nūc autē sunt catholice ad eos epōꝝ cū suis rebus p̄tineāt, ad q̄s parrochię ipsę in quibus ipsę ecclesię fundatz sunt, pertinere videntur.

X ¶ Pro consulto castitatis, quod maxime hortamēto Concilij proficere debeat annuē-
te glorioſo dño nostro Reccaredo rege hoc sanctū affirmat Conciliū, vt viduæ qbus placue-
rit, teneant castitatē, & nulla vidua ad nuptias intrādas venire cogat, quod si priusq̄ p̄fiteant
continētiam nubere elegerint, illis nubant quos ppria voluntate voluerint h̄re maritos, simi-
lis conditio & de virginibus habeat, nec extra voluntatē parentū, & suam, maritos cogant ac-
cipere. Si q̄s vero p̄positum castitatis viduæ vel virginis impederit, à sancta communione &
à liminibus Ecclesiæ habeatur extraneus.

XI ¶ Quoniam comperimus p̄ quasdam Hispaniæ Ecclesias non secundum Canonem
sed foedissime, p̄ suis p̄ctis homines agere p̄cēnitiam, & quotiēs peccare libuerit, totiēs à p̄s-
byteris reconciliari expostulent, & ideo pro coerenda tam execrabili p̄sumptione, id à
sancto Concilio iubetur, vt secundum formam Canonum antiquorum detur p̄cēnitia,
hoc est, vt prius eum quē sui p̄cēnit facti à communiōe suspensum faciat inter reliquos p̄cē-
nitentes ad manus impositionem crebro recurrere, expleto autem satisfactiōis tempore, fi-
cuti sacerdotalis contemplatio probauerit, eum communioni restituat. Qui vero ad propria
vitia, vel infra p̄cēnitiam tempus, vel post reconciliationem relabuntur, secundum priorū
Canonum seueritatem damnentur.

XII ¶ Quicumq̄ ab Episcopo, vel presbytero sanus vel infirmus p̄cēnitiam postulat, id
ante omnia Episcopus seruet & presbyter, vt si vir est, siue sanus, siue infirmus prius eum ton-
deat, aut in cinere & cilicio habitum mutare faciat, & sic p̄cēnitiam ei tradat. Si vero mu-
lier fuerit non accipiat p̄cēnitiam, nisi prius aut velata fuerit, aut mutauerit habitum, sæpi-
us enim laicis cum sceminis tribuendo desidiose p̄cēnitiam, ad lamentanda rursus facinora
post acceptam p̄cēnitiam relabuntur.

XIII ¶ Inoleta p̄sumptio vsque adeo illicitis ausibus aditum patefecit, vt Clerici concle-
ricos suos relicto pontifice suo ad iudicia publica pertrahant. Proinde statuimus, vt hoc de
cætero non p̄sumatur. Si quis hoc p̄sumpserit facere, & causam perdat, à communiō-
ne efficiatur extraneus.

XIII ¶ Conuētus noster hoc canōnibus inferēdum p̄cepit, vt Iudæis nō liceat Christia-
stianas habere vxores, vel concubinas, neq̄ mancipium Christianum in vsu, pprios compa-
rare, sed & filios qui ex tali coniugio nati sunt, assumēdos esse ad baptismū. Nulla officia pub-
lica eis iniungantur per quæ eis occasio tribuat Christianis p̄cnam inferre. Si qui vero Chri-
stiani ab eis Iudæismi ritu sunt maculati, vel etiam circūcisi, non reddito precio, ad libertatem
& religionem redeant Christianam.

XV ¶ Si qui ex feruis fiscalibus fortasse Ecclesias construxerint, easq̄ de sua paupertate do-
tauerint, has p̄curet ep̄s prece sua autoritate regia confirmari.

XVI ¶ Quoniam penē p̄ omnē Hispaniam, siue Galliciam idololatriæ sacrilegium inoleuit
hoc cū cōsensu gloriosissimi principis sancta synodus ordinauit, vt omnis sacerdos in loco suo
vnā cū iudice, territorij sacrilegiū memoratū studiose p̄quirat, exterminare inuētum nō disse-
rat, oēs vero qui ad talem errorē concurrūt, sine discrimine, qua potuerūt animaduersiōe, co-
erceat, quod si neglexerint, sciāt se vtriq̄ excommunicatōis periculū esse subituros. Si q̄ vero
dñi extirpare hoc malum de possessione sua neglexerint, & familiarē p̄hibere noluerint, ab ep̄o
& ipsi à communionē pellantur.

XVII ¶ Cū multæ querelæ ad aures sancti Concilij deferrent, inter cætera tantę crudelitatis
opus nuntiat, quantū confidētū aures sacerdotum nō possent sustinere, vt in qbusdam Hispa-
niæ partibus filios suos parētes interimant fornicatōis auidi, pietatis alieni, qbus si tæ diū est fi-
lios numerosius agere, prius seip̄os debēt castigare à fornicatōe, nam dū causa p̄pagāda p̄lis
fociant cōiugia, parricidio & fornicatōe tenent obnoxij q̄ filios necādo pprios, docēt se nō p̄
filijs, sed p̄ libidie vxores duxisse. Proinde tm̄ nephas ad cognitionē gloriosissimi dñi n̄ri Rec-
caredi regis platum est, cuius gloria dignata est iudicibus earūdem partiū imperare, vt amo-
uendum tantū facinus diligētē cum sacerdote p̄curent, & habita seueritate prohibeant. Er-
go & sacerdotes locorū eorundem in quibus secleris huius immanitas pagit, sancta synodus
p̄cipiendo conuenit, vt idem scelus cum iudice curiosius quærant, & sine capitali vindicta
acriori disciplina prohibeant.

XVIII ¶ P̄cepit hæc sancta & v̄lis synodus, vt stante priorū autoritate canonum, quæ bis
in anno p̄cepit cōgregari Cōcilia itineris longitudine, & paupertate Ecclesiæ Hispaniæ, se-
mel in anno in loco quē metropolitanus elegerit, Ep̄i cōgregent, iudices vero locorū aut au-
thores fiscaliū patrimoniorū ex decreto dñi nostri simul cum sacerdotū Cōcilio autumnali tē-
pore die Calēdas Nouembriū in vnum conueniāt, vt discant, q̄ pie, iuste, & humaniter, cum
populis agere debeāt, nec iniustus v̄ctigalibus, & immoderatis exactiōibus ipsos premāt, sed

Concilium Toletanū tertium.

- potius per miserationem compatientes à grauaminibus defendant, vt bonos populi tutores facere decet, nec in angarijs, aut in opationibus superfluis, siue priuatum onerent, siue fiscalem grauent. Sunt enim p̄spectatores Episcopi secundum regis ammonitionē, qualiter iudices cum populis agant, vt ipsos p̄monitos corrigant, aut insolētias eorū principum auribus innotescant. Quod si correptos emēdare nequiverint, & ab Ecclesia, & à communione suspēdant, à sacerdote vero & senioribus deliberet, quid p̄ Prouincias in suo detrimēto p̄stare debeant iudices, si ad Concilium non venerint. Concilium vero non soluat, nisi prius locum elegerint quo succedente tempore, itē ad Concilium conueniat, vt iam non necesse habeat metropolitani episcopus pro congregando Concilio literas destinare, si in priore Concilio tempus omnibus denuntiatur & locus.
- K XIX** ¶ Quidam contra oēm auctoritatē, sic Ecclesias quas ædificauerint, postulant consecrari, vt dotē quam eidē Ecclesiæ contulerint cēseant ad Ep̄i ordinationē non p̄tinere, quod factū est taliter, in p̄terito corrigat, & in futuro ne fiat, p̄hibeat, sed omnia sc̄dm constitutionē antiquam ad Ep̄i ordinationē & potestatem pertineant.
- L XX** ¶ Quia cognouimus Ep̄os p̄ parrochias suas non sacerdotiliter deseruire, sed crudeliter deseuire, & dum scriptū sit. Forma estote gregi, non vt dominantes in clero, exactionesq; dioecesi suæ, v̄l damna infligant, ideoq; cēsemus excepto quod veterē cōstitutionē parrochias h̄re iubēt Ep̄os, vt alia illis q̄ hucusq; p̄sumpta sunt denegent, hoc ē, neq; in angarijs presbyteri aut diacones, neq; in aliquibus fatigent à iudicibus, ne videamur in Ecclesia dei exactores potius q̄ dei pontifices noiari, hi vero clerici tam locales, q̄ dioecesani qui se ab Ep̄o grauari cognouerint querelas suas ad metropolitanum deferre non differant, vt metropolitanus nō mo retur, eiusmodi p̄sumptiones coercere.
- M XXI** ¶ Ecclesiæ seruos, & Ep̄os vel omniū Clericorū à iudicibus vel actoribus publicis in diuersis angarijs fatigari dolemus, p̄pter quod omne Concilium à pietate gloriosissimi dñi nostri poposcit, vt tales deinceps ausus inhibeat, sed serui sup̄scriptorū officiorū in eorū v̄sibus vel Ecclesiæ laborent. Si qui vero iudicum, aut actorū clericum, aut seruum clerici vel Ecclesiæ in publicis ac priuatis negotijs occupare voluerit, à communione Ecclesiastica (cui impedimentum facit) efficiatur extraneus.
- N XXII** ¶ Qui diuina vocatione ab hac vita recedunt cū psalmis tm̄ modo, & psallētium vocibus debere ad sepulchra deferri, nam funeris p̄camē quod vulgo defunctis cantari solet, v̄l p̄ceptoribus se aut proximos, aut familias Ecclesiæ omnino p̄hibemus. Sufficiat aut̄ quod in spē resurrectōis Christianorū corpibus famulatus diuinorū impēdit canticorū. Prohibet em̄ nos Apostolus sanctus lugere defunctos, dicēs. De dormiētibus aut̄ nolo vos cōtristari, sicut & ceteri qui spem non habēt. Et dñs nō fleuit Lazari mortuū, sed ad vitæ huius plorauit ærumnas resuscitatum. Si em̄ p̄t hoc Ep̄s omnes Christianos p̄hibere, agere non moret. Religiosis tm̄ Christianis omnino aliter fieri non debere censemus. Sic enim Christianorū p̄ omnem mundum humari oportet corpora defunctorum.
- O XXIII** ¶ Irreligiosa consuetudo est, quam vulgus p̄ sanctorū solēnitates agere consuevit. Populi qui debēt officia diuina attendere, saltatōibus turpibus inuigilant, cantica nō solū mala canentes, sed & religiosorū officijs p̄strepentes. Hoc em̄ vt ab omni Hispania depellat, sacerdotum, & iudicium à Concilio sancto curæ committitur.
- P** ¶ Aedictum regis de confirmatione Concilij.
- G**loriosissimus dominus Recaredus rex vniuersis sub regimine nostræ p̄tatis consentientibus. Amatores nos sui diuina faciēs veritas nostris principaliter sensibus inspi rauit, vt causa instaurandæ fidei, ac disciplinæ Ecclesiasticæ, Ep̄os omnes Hispaniæ nostro p̄sentati culmini iuberemus. P̄cedete aut̄ diligenti, & cauta deliberatione, siue quæ ad fidem conueniunt, seu quæ ad morum correptionem respiciunt, sensus maturitate & intelligētia grauitate constant eē digesta. Nostra proinde auctoritas hoc omnibus hominibus ad regnum nostrum p̄tinentibus iubet, vt si qua definita sunt, in hoc sancto Concilio acto in vrbe Toletana anno regni nostri feliciter quarto nulli contēnere liceat, nullus p̄teriti re p̄sumat. Capitula em̄ quæ nostris sensibus placita, & disciplinæ congrua, ac p̄senti conscripta sunt synodo, in omni auctoritate, siue clericorū, siue quorūcūq; omniū obseruent, & maneant, id ē, de obseruatōe priorū Canonum, de symbolo p̄ferēdo à populis in Ecclesia, de ep̄is vt eis non liceat rem alienare Ecclesiæ, vt Episcopo liceat vnam de parrochianis Ecclesijs monasterium facere, vt Ep̄is, & presbyteris, & diaconibus ex hæresi conuersis iam nō liceat misceri vxoribus, v̄l quod hi qui semp̄ Catholici fuerint in cellulis suis cū mulieribus extraneis non morent, quod liberti ab Ep̄is vel ab alijs facti, & Ecclesijs commēdati p̄manere debeant liberi, quod lectio in omnibus sacerdotilibus mēsis legi debeat, quod clericos ex familijs fisici n̄ri ynq; nullus

Nullus agere præsumat, & qui acceperit irrita talis donatio maneat, de Ecclesijs ab hæresi trās-
latis vt ad Epōs in quorū sunt parrochijs ptineant, de viduis quæ voluerint continēti-
am teneant, & quæ nubere elegerint, quibus voluerint, nubant, & que de virginibus quod pœ-
nitētes secundum modum Canonum antiquorū debeant agere pœnitētiā, quod qui volue-
rint agere pœnitētiā prius tondent, aut habitum mutēt, quod non liceat Iudæis de Chri-
stianis ducere vxores vel concubinas, si comparare mancipia Christiana, & Iudæis non liceat
vel publica officia pagere, quod manere debeat firmū, si serui fisci nostri Ecclesias fecerint, easq;
de peculio suo dotauerint, quod idololatriæ cultura à sacerdotibus vel iudicibus exquirēda sit
atq; extermināda, quod q filii sui necauerit, à sacerdotibus vel iudicibus distringat, quod se-
mel in anno ad Conciliū sacerdotēs, & iudices, atq; actores patrimonij nri debeant conuenire
vel Ecclesijs: oim causa ad Epōi ordinationē ptinere debeat, qd sacerdotes moderāter age-
re debeant p parrochias, quod serui Ecclesiæ suæ clericorū non debeant à nris actoribus in
angaria aliqua fatigari. Quod religiosorū corpora cum hymnis & canticis tm deferēda sint ad
sepulchra. Quod Ballimathia & turpia cantica, phibēda à sanctorū solēnijs. Has oēs constitu-
tiones Ecclesiasticas quas summam breviterq; pstrinximus (sicut plenius in Canone conti-
nent) manere phenni stabilitate sancimus. Si qs clericus ergo aut laicus hæc sanctionū obedi-
ens obseruator esse noluerit supba fronte maiorū statuti repugnans, si Epūs, presbyter, diaco-
nus, aut clericus fuerit ab omni Concilio excōicationi subiaceat, si vero laicus fuerit, & honesti-
oris loci psona fuerit, medietatē facultatū suarū amittat fisci iuribus p futurā. Si vero minoris
loci psona est amissioe rez suarū multatus in exiliū deputei, Flavius Reccareus rex hanc de-
liberationē quam cū sancta definiuimus synodo confirmās subscripsi, Mausona in Chri noie
Ecclesiæ Catholice Emerēcēsis metropolitani epūs, puincij Lusitanie his constitutōibus q
bus in vrbe Toletana interfui, manu mea subscripsi, Silr & alij epī subscripserunt.

Incipiunt capitula cōciliū quarti Toletani.

- | | |
|---|---|
| ¶ De oratione & fidei confessione quæ in san-
cta dei Ecclesia prædicatur 1 | ¶ Sunt quidam qui in fine responforiorum glo-
riam non dicunt 15 |
| ¶ Nulla penè res magis disciplinæ mores ab
ecclesia Christi depulit, quàm inordinata
diuersitas officij 2 | ¶ De Apocalypsi libro, vt teneatur, & quando
legatur 16 |
| ¶ De formula secundum quam debeat sancta
synodus in dei nomine fieri 3 | ¶ Quod quidam sacerdotes non rite post di-
ctam orationē dominicam statim commu-
nicant, & postea bñdictionē in pplo dant, 17 |
| ¶ In solemnitate paschali qualiter solet in His-
panijs varietas existere 4 | ¶ Quod pernitiōsa consuetudo nequaquam ē
retinenda 18 |
| ¶ De baptisimi sacramento 5 | ¶ Quod in veteri lege ab anno vigesimoqnto
leuitæ ordinari mandantur 19 |
| ¶ Comperimus quod per nonnullas Ecclesi-
as in die sextæ feræ passionis domini clau-
sis basilicæ foribus nō celebret officiū 6 | ¶ Quod sacerdotes dei irreprehensibiles esse
debent 20 |
| ¶ Quidam in die eiusdem dominicæ passionis
ad horam nonam ieiunium soluūt 7 | ¶ Quod apud deum conscientiam puram, &
apud homines famam optimam nos habe-
re oporteat 21 |
| ¶ Lucerna & cereus infra vigiliās apud quas-
dam Ecclesias non benedicuntur, & cur à
nobis benedicantur, inquirunt 8 | ¶ Quemadmodum antistites ira presbyteri &
leuitæ sicut nomine, ita & meritis vitam te-
neant & testimonium vitæ 22 |
| ¶ Nonnulli sacerdotum per Hispanias reperi-
untur qui dominicam orationē quam sal-
uator noster docuit & præcepit non quo-
tidie, sed tantum die dominico dicunt 9 | ¶ Quod prona sit omnis ætas ab adolescentia
in malum 23 |
| ¶ Quod sacerdotes Hispaniæ diebus quadra-
gesimæ alleluja decantent 10 | ¶ Quod maxime in sacerdotibus dei vitanda ē
errorum ignorantia 24 |
| ¶ Quod in quibusdam Hispaniarum Ecclesi-
is laudes post Apostolum decantent 11 | ¶ De presbyteris parrochianis dum ordinan-
tur, quod libellum officialem à sacerdote
suo accipere debent 25 |
| ¶ De hymnis etiam canendis 12 | ¶ Quando presbyteri, aut diaconi in parrochi-
as constituuntur, oportet eos professionē
episcopo suo facere 26 |
| ¶ De hymno quoq; triū puerorū in quo vni-
uersa cœli terræq; creatura deū collaudat 13 | ¶ Si epūs, presbyter, diaconus, aut subdiaconus
à gradu suo deiecti fuerit, & in scda synodo
innocētes iueniant, qualr recipi debeāt 27 |
| ¶ Quod in finem psalmorum non sicut
à quibusdā gloria patri, sed honor & glo-
ria patri dicatur 14 | ¶ Si epūs |